



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Sacra Cœna iuxta scripturam non est dicenda Sacrificium 85

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Rom. 15. vbi in hunc modum scribit. *Commonefacio, vos fratres, propter gratiam que data est mihi à Deo in hoc, vt sim minister Iesu Christi in gentes, administrans (ἐπιποιεῖν) sacrificans) Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium acceptabilis, sanctificata per Spiritum Sanctum.*

Tertio facit Apostolus vnumquemque Christianum victimam, hortatur vt quilibet suum proprium corpus, hoc est, semetipsum rationale animal, non vt in veteri Testamento fiebat, irrationale listat & offerat Domino, Rom. 12. vbi sic scribit: *Obsecro, vos fratres, per miserationes Dei, vt prabeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum: & ne accommodetis vos ad figuram huius seculi: sed transformemini per renouationem mentis vestrae, vt probetis que sit voluntas Dei, quod bonum est acceptumque & perfectum.*

Quarto appellat Paulus. Phil. 4. & Heb. 13. sacrificium quicquid ad sustentationem ministrorum Ecclesie pauperum Dei gratia erogatur. Ad Philip. sic scribit de elemosyna quam ei per Epaphroditum publicum ipsorum ministrum Ecclesie & Apostolum Romanum miserat. *Expletus sum (inquit) posteaquam accepi ab Epaphrodito, que à vobis missa fuerant, odorem bonae fragantiae, hostiam gratam acceptamque Deo.* Ad subleuationem pauperum hortatur Epistola ad Heb. his verbis, *Beneficentia & communicationis ne obliuiscamini.* i. talibus enim victimis placetur Deo.

Quinto tribuit hæc eadem epistola nomen hostiæ laudibus Dei & confessioni nominis Christi, cum inquit: *Quare semper offerimus per Christum hostiam laudis, hoc est, fructum labiorum confitentium nomen eius.* Eadem ratione Dauid orationem suam sacrificium vespertinum vocat.

Psal. 141. Hæc sunt sacrificia de quibus testimonium habemus in scripturis Noui Testamenti, nempe Christus Dominus ipse, qui semetipsum & neminem alium obtulit: fidelis populus, quem Deo velut hostiam adducunt, qui eum per prædicationem Euangelij ad Deum conuertunt, vniuscuiusque Christiani corpus & anima, per mortem peccatorum & renouationem spiritus ad omnem obedientiam Dei: elemosyna & contributio pro ministris Ecclesie & pauperibus sustentandis: denique laus, gratiarum actio, & confessio nominis Christi.

Quod sacra Cæna iuxta Scripturam non debeat appellari Sacrificium.

CAP. LXXXV.



INTER omnia hæc genera sacrificiorum nulla omnino mentio fit S. Cæne. Verum tamen est, ubicumque ea iuxta institutionem Domini celebratur, ibi omnia hæc sacrificiorum genera commemorata reperitur. Sed non minus apud baptismum quoque & quoduis religiosum exercitium Christiane Ecclesie.

Opor-

Oportet enim vt Christus Dominus vnicum sacrificium propitiatoriu & accepta hostia gratiarum actionis semper præsens adsit, vt in cuius solius nomine homines conuenire preces ad dominum fundi, ac laudes Dei celebrari debent. Similiter in vnaquaque congregatione Christi debet præsens multitudo per Euangelium, singuli verò per propriam fidem ad omnem voluntatem ac placitum Dei offerri. Eodem modo debet vnusquisque ibi munus suum ad religionis & egenorum membrorum Christi sustentationem, benignè offerre, & nunquam vacuis manibus coram Domino apparere. Denique in omnibus sacris conuentibus ac cœtibus Christi, nomen Dei confiteri, inuocari, laudari ac celebrari debet.

Ex his vniciuque in promptu est videre, quod etiamsi in S. Cœna omnia quinque enumerata sacrificia reperiuntur, atque etiam principaliter esse debent, ea tamen omnia in quibusuis sacris cœtibus, etiamsi in iis S. Cœna non celebretur, inueniri oportet: modò non velint esse abominatio in oculis Dei: quarto tantum sacrificio excepto, externæ scilicet Contributionis & Collationis. Quamobrem omnia Religionis exercitia non minus sacrificia appellari possunt, quàm S. Cœna Domini.

Si verò ea loca scripturæ intueamur, quæ peculiariter de S. Cœna testantur, non inueniemus vllibi nomen sacrificij ei tributum, Nul- libi enim aliter nominatur quàm Cœna Domini, fractio panis, manducatio panis Domini, *Dispensare cali em laudis, bibere ex calice Do- mini, & communio Domini.* Hæc & nulla præter ea reperiuntur nomi- na S. Cœnæ tributa, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Act. 2. & 20. 1. Cor. 10. & 11. in quibus locis peculiaris fit mentio S. Cœnæ Domini. Quod si sex- tum Ioannis caput quoque inspicere velimus, neque in eo vel verbum aliquod de sacrificando inueniemus, quod videlicet ab hominibus in Ecclesia fieri debeat: sed tantum de manducando & bibendo carnem & sanguinem Christi.

Iam verò constat inter omnes Christianos Spiritum S. in Scriptura sua, omnia, quæ nobis maximè necessaria ac salutaria sunt, apertissimè ac facilima methodo nos docuisse, verbisque ac nominibus propriis tra- didisse. Quare non tantum reprehensione vacat, verum etiam tutissi- mum est, & ad ædificationem vtilissimum, eisdem nominibus S. Cœ- nam appellare, quæ S. Scriptura illi imposuit, his præsertim tempo- ribus, quibus de nominibus sacrificiorum ad verum intellectum non modò malè conuenit, sed etiam plerique ad horrendam offensionem iis abutuntur.

Quod verò etiam S. Cœna sano intellectu sacrificium appellari pos- sit, quandoquidem apud eam omnia sacrificia noui Testamenti princi- paliter adesse & exerceri debent: ob quam causam veteres S. Patres eam oblationem & sacrificium appellarunt, Liber Reformationis non inficiatur. Superuacaneum igitur erat, quod Aduersarij tam variis ac multiplicibus citationibus similitudinem inter S. Cœnam & sacri- ficia veterum inuestigarunt: eam enim nemo est qui neget. Nihilò

minus certum est, quod si scriptura sacrificia veterum enumeratis nominibus appellat, nullum autem eorum S. Cœnæ attribuit. Melius autem appellare eam nemo poterit, quam Dominus ipse & Spiritus Sanctus.

Tantum ex S. literis ad propositam quæstionem dictum sit, Vtrum Missa sacrificium sit & propriè dici debeat.

Sententia Patrum super hac quæstione.

EXtra controuersia est S. Patres ferè omnes S. Cœnâ Domini oblationis & sacrificij nomine appellasse, *δυνως καὶ ἁπορροπῆς*, quâuis Dionysius nullum sacrificij nomē ei tribuit, sed generali vocabulo appellat *ἱερωσύνη*, sacrâ actionē, quemadmodū etiam Latina vox Sacrificiū si fontem & originem eius spectes, nihil aliud quàm sacrâ actionem significat. Marcilius Ficinus hanc vocem *ἱερωσύνη* Salutaris hostiæ oblationem interpretatus est, verum hæc non est genuina eius verbi significatio. Nec debebāt Aduersarij cuiquam interpreti tutò confidere, quando S. Patrum scripta in propriis eorum & natiuis linguis habere possunt.

De Eccl. Hiearch. cap. 3.

Peculiarior nomina huius sacræ actionis ostēdit Doctor iste suis tēporibus fuisse *κρυπταὶ καὶ ἀπόκρυφτοι*. Cūque hæc nomina aliis quoque mysteriis diuinis communia sint, rationē reddit quare S. Cœnæ præ cæteris præcipuè ac peculiariter applicentur. Sic enim scribit: Nempe & vnaquæque Sacramentalis institutio id agit, vt nostras vitas in plura diuisas in vnicum illum statum, quo Deo iungimur, colligat, diuiduorumque nostrorum diuina collectione nobis eius quod verè vnum est, societatem, vnitatemque indiuiduam largiatur. Si igitur vnumquodque sacerdotale mysterium ex se imperfectum, nostram ad vnum illud communionem collectionemque non perficit, ac per id quod perficendi vim non habet, ferè etiam nomen amittit, finis autem ac principalis omnium ratio in eo est, vt diuinorum mysteriorū is qui perficitur particeps fiat, meritò sacerdotalis prudentia ex rerum effectu proprium illi verumque nomen *συνέξιας καὶ κοινωνίας* inuenit. Sic igitur & sacrum dignè generationis Sacramentum, quia primi luminis consortium tradit, omniumque diuinarum illustrationum principium est, ex effectu ipso verissimo illud illuminationis cognomine prædicamus, etiam si eadem in omnibus Sacramentis impertitur.

Quod si Dionysius iste tam vetustus author est, vt Aduersarij & alij plerique iudicant, certè S. Cœna tempore Apostolorum oblatio vel sacrificium non fuit appellata. D. Irenæus (qui inter probatores & certioris fidei doctores, quorum monumenta supersunt, antiquissimus est, scripsit enim circa annum 158. post passionem Domini) testatur Ecclesiam ab Apostolis accepisse, vt in S. Cœna nihil aliud quàm panem & vinum offerret cum gratiarum actione; oblationis verò corporis & sanguinis Christi ne verbo quidem meminit. Sic enim scribit: sed & suis discipulis dans consiliū, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens,

Hoc

Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo, qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in nouo Testamento, de quo in 12. Prophetis Malachias significauit, &c.

In his & aliis multis verbis, quæ leguntur 32. & duobus sequentibus capitibus libri quarti quibus facile cernit, quod tempore huius Patris nulla alia oblatio cognita fuit, quàm donorum, quæ pro pauperibus cum gratiarum actione Domino offerebantur. In quibus etiam docet necessariam esse plenam sui ipsius in voluntatem ad placitam Dei traditionem, quæ ibi ex vera & solida fide fieri debet. Cæterum oblationem corporis & sanguinis Christi ne verbo quidem attingit.

Idem Pater capite 34. lib. 4. postquam indicauit, non sacrificia sanctificare hominem, sed conscientiam puram eius qui offert sanctificare sacrificium: quòdque sacrificium Ecclesiæ idcirco à Malachia purum appelletur, quoniam illud cum simplicitate offert: quemadmodum & Philippenses Paulo munus suum Romam miserant, odorem suauitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo, hæc verba subiungit, Oportet enim nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo, in sententia pura, & fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione, primitias earum quæ sunt eius creaturarum offerentes; & hæc oblationem Ecclesia sola puram fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. Hæc ille.

In his verbis notandum est, Doctorem istum sanctitatem & puritatem sacrificij Ecclesiæ assignare. Quamobrem sacrificium hoc non potest esse Iesus Christus ipse: nihil aliud autem tunc temporis esse agnitum est, quàm panis & vinum, cum gratiarum actione, & traditio in voluntatem ac placitum Domini.

De nullo alio sacrificio intellecta est eo tempore Prophetia Malachia de pura oblatione gentium.

In hoc testimonio D. Irenæi illud quoque diligenter animaduertendum est, quod de causa oblationis scribit: nempe quod Dominus in veteri & nouo Testamento docuerit offerre, non ut aliquid Deo indigenti demus aut promereamur ab ipso: sed ne infructuosi aut ingrati simus, ei que seruire discamus. Hoc diligenter notet Christianus Lector, notatu enim necessarium est, ad id ut discernatur inter verè Catholicam doctrinam Ecclesiarum Christi, & Antichristianarum in hac questione, Vtrum sacrificium in S. Cœna agnoscendum vel non agnoscendum sit.

Tertullianus etiam qui post Irenæum antiquissimus est, cuius scripta etiamnum supersunt, meminit S. oblationis donorum pro pauperibus: sacram Cœnam verò appellat sacramentum Eucharistiæ, panemque & Calicem Domini.

D. Cyprianus autem non nominat quidem S. Cœnam Eucharistiæ, sed interdum quoque sacrificium, idque propter duas causas: tum quod ibi sancta

oblatio pro pauperibus fiat: tum quod memoria passionis & immolationis Domini nostri Iesu Christi, facta in cruce, celebratur. De priori causa legimus in exhortatione eius ad eleemosynam: estque sermo ad diuitem quandam matronam directus, quam alloquitur talibus verbis: locuples & diues, Dominicum celebrare te credis, quæ carbonam omnino non respicis: quæ in Dominicum sine sacrificio venis: quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. In quibus verbis B. martyr Cyprianus S. Cœnam sacrificium appellat, ab oblatione donorum quæ fideles pro pauperibus Domino offerebant, ex quibus postea S. Cœna pro omnibus instruebatur.

Idem martyr S. Cœnam appellat etiam Dominicum sacrificium. Itē sacrificium Dei Patris & Christi, propter memoriam oblationis Domini nostri Iesu Christi. Scribit enim quoque S. Cœnam esse sacrificium, quod est Christus ipse, Item quod sit passio Domini, cuius in omnibus sacrificiis memoriam celebremus. Dicit etiam Christum Dominum in sacra sua Cœna illud idem obtulisse, quod obtulit Melchisedec, panem & vinum, nempe corpus & sanguinem suum. Consimili modo scribit, calicem in memoriam Christi Domini offerri: & sacerdotem in Ecclesia Deo Patri sacrificium offerre. Istæ locutiones omnes habentur. Epistola 3. lib. 2. Similes inuenirentur ferè apud omnes antiquos Patres, verùm in nullo alio sensu, quàm quod multū amplificare ac sublimibus verbis pronūciare voluerunt id quod in S. Cœna, si modò eam iuxta institutionem Domini celebremus, præsens habemus, & ad vitam æternam percipimus, videlicet Dominum nostrum Iesum Christum, vnicè acceptum Deo Patri sacrificium, In quo nos ipsos quoque Patri offerimus, & offerimur per ipsum, gratias illi agemus, laudibusque celebramus, quæ omnia sunt gratus & acceptus Deo cultus, opusque benè placitum.

Iam verò totum negocium in eo consistit, vt locutiones istæ ritè & quemadmodum à S. Patribus usurpatæ sunt, referantur & intelligantur. S. Patres in ecclesiis Latinis vtuntur his modis loquendi, offerre oblationem, sacrificare sacrificium, hostiam victimam immolare. Græci suis verbis vtuntur, *θυσίαν θυσίαν, προσφέρειν προσφέρειν, ἱερουργεῖν ἱερουργεῖν*. Latina verba sacrificare & sacrificium idem propemodum valent, quod apud Græcos *ἱερουργεῖν & ἱερουργία*. Sic etiam *προσφέρειν ἢ προσφέρειν* æquipollent, illis, offerre & oblatio. Eadem quoque ratio est vocum Hostia & victima, qua vocabuli *θυσία*. Immolare propriè loquendo significat sacrificium cibariū ex farina & sale confectum offerre: sed Latini etiam promactare vsurparunt, quemadmodum Græci suum *θυσίαν*.

Eiusmodi vocabula S. Patres tractationi Cœnæ Dominicæ attribuerunt, non quod in ea mactetur aliquid, aut victima offeratur: sed quod ibidem commemoretur, & annuncietur victima & immolatio Domini nostri Iesu Christi, qui semetipsum pro peccatis nostris hostiam Patri obtulit in ara crucis. Hinc est quod in canone Concilij Niceni de hac re dicitur, Positum hic esse agnum Dei qui tollit peccata mundi, à sacer-

cerdotibus *ἡ δὲ τῆς θυσιᾶς*, hoc est, datum ac propositum ad recordationem & meditationem mortis ac passionis suæ, hostiæque qua seipsum in ara crucis à peccatoribus mactatum & occisum, oblationem suauolentem Patri obtulit.

Sic quando S. Patres dicunt, Corpus & sanguinem Domini sacrificari, *ἡ σὺν τῆς θυσιᾶς*, vel etiam offerri *ἡ σὺν τῆς θυσιᾶς*, nihil aliud intelligunt, quàm quod ibi per sacram hanc actionem sacrosancta sacramenta, & in eis corpus & sanguis Christi, Christus Dominus ipse offeratur, sistatur & representetur Deo Patri cœlesti, in eo quod laudibus celebratur, & gratiæ illi aguntur pro immensa bonitate & misericordia eius, qui propter nos dilecto Filio suo non pepercit, sed tradidit eum in mortem, ad hunc finem, vt nos siquidem in eum crediderimus, non pareamus, sed habeamus vitam æternam: populo verò Dei in hoc, quod ipsi prædicatur, & porrigitur & exhibetur Christus Dominus, cum omnibus meritis ac donis suis.

Quod verò hic sit genuinus ac verus talium locutionum sensus testantur Patres ipsi in sermonibus suis. Cyprianus in antè positis verbis inquit, *Nostrum sacrificium esse Christum. Item, Passionem eius esse nostrum sacrificium quod in sacra offeramus.* At quoniam alio modo possunt sacerdotes passionem Christi, & Dominum ipsum offerre, quam passionem illius ac fructum qui ex ea enatus est, beatam eius resurrectionem, cœlesti regnum, redemptionem nostri, satisfactionem pro peccatis nostris, destructionem mortis, adoptionem in Filios Dei annunciando & prædicando, Deumque Patrem per ipsum pro omnibus istis acceptis beneficiis digna gratiarum actione laudando & celebrando, denique orando, vt passionem & resurrectionem dilecti filij sui in nobis efficacem reddat, vt quotidie peccatum mortificemus, nouam verò ac diuinam in nobis prouehamus ac confirmemus. Hoc est, quemadmodum D. Paulus scribit ad Philip. c. 3. *vt efficaciter eum cognoscamus, & potentiam resurrectionis illius, & communionem afflictionum eius, conformes facti mortis suis, vt pertingamus ad resurrectionem mortuorum.* hoc est, memoriam eius sicut præcepit celebrare, mortemque ipsius annuntiare, quemadmodum Apostolum hoc dictum Domini, *Hoc facite in mei commemorationem*, declarauit.

Hanc eandem sententiam & intellectum Cyrillus in epistola contra Nestorium clarissimis verbis tradit, sic dicens, Quando mortem vnigeniti Filij Dei, hoc est, Iesu Christi, quam iuxta carnem perpeffus est, annunciamus, quòdque ex mortuis resuscitatus, & in cœlum sublatum sit, confitemur, peragimus in Ecclesiis incruentum cultum, *κατὰ τὴν*, accedimusque ad spiritualem ac latentem benedictionem, & sanctificamur in participes sanctæ carnis ac pretiosi sanguinis Seruatoris nostri Christi. In his verbis videre est, Doctorem istum *κατὰ τὴν* id ipsum appellare, quod alij Patres *ἡ σὺν τῆς θυσιᾶς*, sacrificium & oblationem nuncupant, videlicet veram ac legitimam Cœnæ Dominicæ administrationem.

Eandem veritatem D. Augustinus quoque apertis verbis docet contra Faustum lib. 20. cap. 17. *Hebraei inquit in vtilibus pecorum quas offerre* *idm. s.*

hant Deo, multis & variis modis, sicut in re tanta dignum erat, prophetia celebrabant futura victimæ, quam Christus obtulit, memoriam. Vnde iam Christiani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione corporis & sanguinis Christi. In his verbis appellat Doctor iste tractationem S. Cœnæ Dominicæ celebrationem memoriæ victimæ Christi, oblatæ in cruce, quo nomine & in aliis quoque quàm plurimis locis eam appellat. Celebratio verò quid aliud est, quàm solennis prædicatio & annunciatio, quæ fit cum verbis tum ceremoniis? Quapropter inquit D. Augustinus, *Sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi. Quæ oblatio in sacrificio, hoc est administratione S. Cœnæ nihil aliud esse potest, quàm consecratio & consecratio sacramenti.* Vnde idem Pater lib. eodem ca. 21. inquit. *Huius sacrificij caro & sanguis antiè aduentum Christi per victimas similitudinum per mittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi per sacramentum memoria celebratur, hoc est, verbis & sacris signis predicatur & exhibetur.*

Hæc omnia fusius explicantur per id quod sanctus iste Pater scripsit ad Paulinum Epist. 59. super verba Pauli 1. Timoth. 2. *Adhortor igitur ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpretationes gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, &c.* Hæc verba sic interpretatus est. *Multa inquit hinc dici possunt, quæ improbanda non sint: sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia: ut preces, deus accipiamus dictas, quas facimus in celebrationes sacramentorum, antequam illud quod est in mensa Domini incipiat benedici: orationes, ^{capitulum} xæ, cum benedicuntur, & sanctificentur, & ad distribuendum comminuitur: quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica oratione includit. Interpellationes verò ⁱⁿ ^{ritu} ^{hinc} ^{fit}, sunt, cum populus benedicuntur. Tunc enim antistes velut aduocati, susceptos suos manus impositione misericordissima offerunt potestati. Quibus peractis & participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.*

In his verbis sicut etiam alibi appellat D. Augustinus Missam celebrationem sacramentorum, & enumerat eius essentielles partes. Quarum prima est, panis & vinum, quæ in mensa Domini offeruntur: secunda precatio, quæ fit, antequam illud quod est in mensa incipiat benedici. Tertia Oratio, cum panis & vinum benedicuntur, & sanctificantur, & ad distribuendum comminuitur. Quarta, Benedictio populi. Quinta, Distributio & participatio sacramenti. Sexta, gratiarum actio.

Verum quid Benedictio & sanctificatio sit, quoniam Aduersarij peculiarem ea de re Articulum posuerunt, suo loco declarabitur. Catholica fides Christianorum est, quod benedictio ista & sanctificatio consistebat in antecedenti gratiarum actione & pronuntiatione verborum Christi.

Ad pleniorum horum omnium declarationem probè perpendendum etiam est caput nonum libri de fide, ad Petrum Diaconum, qui D. Augustino ascribitur. In quo sic habetur, *Firmissime tene, & nullatenus dubitet, ipsum unigenitum Deum verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam. Deo in odorem suauitatis: cui cum Patre & spiritu*

sancto

sancto à Patriarchis, Prophetis, & Sacerdotibus tempore veteris Testamenti animalia sacrificabantur, & cui nunc, id est, tempore Noui testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est una diuinitas, sacrificium panis & vini in fide & veritate, sancta Ecclesia Catholica per uniuersum orbem terra offerre non cessat. In illis enim carnalibus uisibilibus figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. Hæc ille.

In his uerbis, tria ueniunt animaduertenda. Primum est, quod sacrificium Christi offerre pro peccatis nostris, ipsi Domino soli adscribitur, non sacerdoti vel Ecclesie. Alterum est sacrificium quod Ecclesie tribuitur, esse panem & uinum, quod non minus Christo Domino quam Patri & Spiritui sancto offert. Tertium, Quod affirmatur, in hoc Sacrificio Ecclesie non esse oblationem, sed gratiarum actionem atque commemorationem carnis & sanguinis Christi.

In eandem sententiam loquitur etiam D. Chrysostomus Homil. 17. in Epistolam ad Hebræos, ubi de missa tractat. *Pontifex noster, inquit, ille est (Christum intelligit) qui hostiam ^{duo} mandantem nos obtulit: ipsam offerimus, & nunc que tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod nos facimus, in commemoracionem quidem sit eius quod factum est. Hoc enim facite inquit in meam commemoracionem. Non aliud sacrificium sicut Pontifex, ^{ut dicitur} ^{de exponitur}, sed id ipsum semper facimus, magis autem recordacionem sacrificij operamur.* Hæc ille.

Ex quibus uerbis apparet, quod etiam si Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus, & alij Doctores dicant, Corpus & sanguinem Domini, vel Christum Dominum ipsum, in S. Cœna Patri offerri, hæc tamen oblatio nihil aliud sit, quam gratiarum actio quæ sit Patri pro immensa & ineffabili dilectione sua, qua nobis dilectum filium suum, & cum eo omnia donauit, ut per ipsum haberemus vitam æternam.

Et quando dicunt, Quod corpus Christi nobis immoletur, quomodo loquitur Augustinus in Psalm. 75. dicens ex ipsa memoria nobis quotidie sic immolatur, quasi quotidie nos innouet. Ad quem modum etiam loquitur scribens ad Bonifacium, de Baptismo paruulorum Epistola 27. In eiusmodi locutionibus nihil aliud intelligunt, quam quod nobis beata comunio Christi, uictime ac meriti eius nobis proponatur & communicetur.

Hæc omnia copiosius uidere est in Liturgia Græca, quæ D. Chrysostomo & Basilio adscribitur, sed perperam & falso. Maxima enim diuersitas, quæ est inter antiquiores manuscriptos & recentiores impressos libellos: & quod in operibus Chrysostomi sparsim hinc inde de forma celebrationis Cœnæ Dominicæ scribitur, argumento est, quod etsi in Liturgiis quæ nostro tempore circumscribuntur, fieri potest, ut de precationibus ac formis quibus Basilius & Chrysostomus usi sunt, aliquid insit, multa tamen à posterioribus illis apposta sint & afficta.

Verum quomodocumque se res habeat de Liturgiis istis, manifestum

est ex illis, omne sacrificium in S. Cœna in duobus generibus oblationū apud Græcos positum fuisse: quorum vnum est, panis & vinum, in quo vnitas & communio nostra cum Christo, traditio que nostri in voluntatem ac placitum illius præfiguratur, quemadmodum Irenæus & Dionysius docent. Alterum est, gratiarum actio & Oratio vnà cum in vniuerso cultu in ista actione. Quod autem corpus Christi in ea quoque offeratur, de hoc ne verbum quidem habetur in antedictis Liturgiis. Oratur quidem in eis Dominus, vt potenti manu sua participes nos reddere velit corporis & sanguinis sui. Mentio quoque fit *ἵεσυσίωσα*, hoc est de sanctificando, vel sanctè conficiendo corpus & sanguinem Christi, qua voce Dionysius quoque vtitur. Verum ea nihil significare potest, quàm Consecrationem & confectionem Sacramentorum. Legantur Liturgiæ istæ: vsque ad finem, & inuenietur verum esse, quod iam dictum est.

Simpliciter quidem vocabulum *ἵεσυσίωσα*, pro Offerre vsurpatum est, etiamsi in genere nihil aliud significet quàm sanctum quid operari. Vnde etiam D. apostolus Euangelium prædicare appellat *ἵεσυσίωσα*, Roman. 15. Quoniam verò in S. Cœna nihil mactatur, sed memoria victimæ Christi celebratur, nihil aliud significare potest, *ἵεσυσίωσα*, corpus & sanguinem Domini in S. Cœna, quam mortē & passionem, & omnia beneficia eius prædicare, celebrare & sacramenta communionis corporis & sanguinis Christi conficere ac distribuere.

Ex his vnicuique Christiano in promptu est videre, quòd nomen Sacrificij administrationi S. Cœnæ principaliter ob hanc causam à veteribus tributum sit, quod ibi dona fidelium, panis & vinum, pro pauperibus & egenis, vnà cum oratione & gratiarum actione Domino offerbantur: celebris item memoria & communio victimæ Christi in aræ crucis oblata, solenniter peragebatur, gratiæque pro tam immensis beneficiis per eam nobis præstitis Domine agebantur, cum deuota & religiosa & totius Ecclesiæ & priuatim singulorū Christianorū in omnem voluntatem & obedientiam Dei traditione. Non autem quod sacerdos in ea actione ingentem amorem & inenarrabilia beneficia Christi prædicare, Patri pro illis gratias agere, eaque fidelibus & verbis & sacramentis exhibere debet, quo homines oblationis ac victimæ Christi magis participes fiant, & in communionem

ipsius crescant atque promoueant, debeat quoque

ibi Christum Patri pro noua victima sistere &

offerre. Postremò & hoc quoque in omnibus

dictis Patrum, quæ hætenus adducta sūt, videre licet, Distributio-

nem videlicet ac perceptionem

sacramentorum esse essentia-

lem partem verè & legitima-

administrationis

S. Cœnæ.

In quæ